

CCXXVII.

Anno 1704. die 8. Februarii Viennae.

Leopoldus Rex SS et OO. Regni Croatiae ad fidem servandam et ad arma contra rebelles in Hungaria summenda hortat.

LEOPOLDVS DEI gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae Bohemiaeque &c. Rex.

Reuerendi, Honorabiles, Spectabiles ac Magnifici, Egregij & Nobiles, Prudentes item et Circumspecti, Fideles nobis dilecti. Quanta animi cura et sollicitudine hactenus in id incubuerimus, ut tot Vicissitudinibus lacessitum et nouissimis intestinis motibus exagitatum praefatum Regnum nostrum Hungariae in priorem redigeretur tranquillitatem, abunde constat tum ex benignissimis Literis nostris Amnystialibus, Tenore quarum a debito obsequio et fidelitate nostra deuotus in sinum Gratiae nostrae recipere institueramus, tum vero alijs benignis Literis nostris, quibus mediantibus ab omni omnino Contributione usque ad futuram Diastam Regnicolas supportandos et eximendos declaraueramus. Verum hac benignitatis nostrae Exuberantia concitatae perfidae Factionis Authores minus attenta in sceleratis suis Ausibus pertinaciter persistere ac detestabile Perduellionis malum in perniciem totius Regni et fidelium nostrorum ruinam diffundere, spretisque Diuinis et humanis Legibus iureque naturae vilipenso in propria viscera igne et ferro desaeuire ac uniuersas Fidelium nostrorum Facultates in praedam agere, miseram Plebem sub vindicandae Libertatis titulo dementare, alios seu timore percussos seu vanis pollicitationibus illectos infascinare, alios denique vi et armis in suas pertractos partes nefando suo Agmini ad associandum se cogere, ac taliter vires suas augere, jamque fere totum dictum Regnum nostrum Hungariae inundare non exhorruerunt, ita, ut compluribus Arcibus, Praesidio nostro munitis, proditorio non minus ac nefario ausu occupatis, ad Limites usque et Terminos Regni huius nostri Croatiae Virus suum exeruerint, dubio procul Fidelitates quoque vestras, prout alibi factum, per diuersas Patentes, seu Invitatorias, seu Comminatorias ad simile Perfidiae Crimen varijs sub Praetextibus et omni arte sollicitaturi. Et licet in auita Fidelitate vestra, hactenus omni tempore illibate continuata et contestata, indubiam nobis spem benigne polliceamur, Fidelitatesque vestras non degeneres Majorum Suorum et Charae Patriae Filios et homagialis Sacro Diademati nostro debitae Obligationis memores esse confidamus: Attamen, ne in tam Subitanea rerum Vicissitudine quispiam Vestrum seu metu seu alio quocunque modo se per memoratos seditiosos circumveniri patiatur, Eisdem Fidelitates Vestras hisce benigne hortamur, et iuratae nobis ac debitae fidei et